



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Christiana Ancilla Ibera. 15. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

omnes primus meritò laudatur. Nam cùm pater exigui lucelli spc , quam rex Saracenus ostentabat , inductus , à Christo ad Mahometis partes malum pedem tulisset , repressit suum DACHATIVS , rectè sic à parente degener. Pòst ubi mortem infelicem sed debitam sceleri tanto pater operiuit , DEI ductu & matris optimæ , Jerosolymas abiit , tinctusque Christianis undis in D. Sabæ cœnobio , ingentibus , quæ posteà edidit , præliis egregius sui victor prælufisit . Tum denique & cæli ope & suâ virtute satis armatus in patriam excurrit , & cùm matri copias junxit , post multas pugnas fratres omnes dare manus vietas Christo coëgit . Unum tantum excipe , qui fide non germanâ , sed Punicâ sanè , DACHATII nomen ad Prætorem detulit . Hic vincitum ad Tribunum misit . Sed neque fratribus perfidia , neq; carnificum tormenta tantum potuerunt , ut non vinceret DACHATIVS . Victor igitur caput gladio submisit tot civicis coronis condecorandum , quot patriæ cælesti cives fratres servavit . Ex Meneis .

Nihil est quod anima possit equiparari , ne universus quidem mundus . Itaque si immensas pecunias pauperibus eroges , plus tamen effeceris , si unam converteris animam . S. Joan. Chrysost. super Psal. 48.

S.CHRISTIANA ANCILLA IBERA.

15. Decembris.

HUJUS quoque nomen nescimus . credo , quia virtus supra cælos hoc evexit . Illud satis constat , vixisse , cùm rerum Constantinus potiretur , & Iberis servitutem serviisse ; ceterū præter conditionem servile nihil habuisse , quin ab hac SERVA Iberos pileum libertatis Christianæ accepisse .

pisse. Res sic gesta memoratur. Filium Ibericæ matronæ gravi morbo afflictū precibus ad D E V M fusis valetudini restituerat, cùm ejus facti rumor ad aures reginæ gentis perlatus est, tunc itidem graviter fortè è morbo decumbentis. Ergo, cùm in spem valetudinis & ipsa venisset, deportari servulorum manibus ad Divam nostram voluit. Ibi in lectulo servili collocata sanitatem extemplo & vires recepit, quas frustra in regiis stragulis suspiraverat. Ut verò grata Numini foret, autor esse conjugi regi cœpit, ut Christo se dederet, cui morbi & mors ipsa jam parérent. Ille moris moras necebat, dum inter venandum iratos & cælos, & ventos expertus, & in ultimum vitæ periculum devolutus, opem Christi præsentē ipse etiam sensit. Tum verò templum Deo posuit, in quo Diva hæc columnam, cùm viribus nullis posset, precibus erexit, suspensamque in aëre tam diu servavit, dum spectantibus omnibus suopte motu in locum suum desidéret. Atque in hoc templo primas Christo Iberi aras, pectora sua devoverunt. Gere castum cor, & templum Salomonæo præstantius erexisti. Ex Socrate & Theodor.

Quemadmodum febricitantes appetitum & robur amittunt: sic qui principum aulas frequentant, mentem & bonos mores perdere solent, nisi frequenter animo repeatant hoc dictum, Nosce te ipsum. Anton. Monach. serm. 59. sententiarum.

SSS. ANANIAS, AZARIAS, MISUEL.
16. Decembris.

A Page vetus Roma cum foculo suo Scævolam tuum ! In fornacem hanc oculos mitte, & superari à pucris Hebræis viros tuos specta. Tres erant